

can. 13 et 14, et Decretal, l. 5, tit. 6, cap. 13, statutum est quod non liceret 1° cum Judæis habitare, 2° conviviis eorum interesse vel eos invitare, 3° in communi balneo lavari, 4° eos ut medicos adhibere, 5° medicinas ab eis datas accipere, 6° filios eorum in domibus ipsorum enutrire, seu munia nutricis exercere, 7° iis famulari, 8° eisdem servitute subijci, 9° eos in publicis officiis inter Christianos constituere, 10° eorum azymis vesci; et hæc quidem tum ad dignitatem religionis Christianæ conservandam, tum ad vitandum perversionis periculum, ex familiaritate cum Judæis Christo specialiter adversantibus eumque blasphemantibus oriturum. Si non sit periculum perversionis, scandali aut nimix familiaritatis cum Judæis, hæc sæpe excusantur a mortali et aliquando ab omni peccato. Sic *Eusenbaum* et post eum *S. Ligorius*, dicentes hanc sententiam esse communem. Vide *Concina* pro diversorum casuum explicatione.

4° Ritus infidelium a principibus Christianis nunquam approbari aut favori possunt, sed eos aliquando tolerare licet, si nempe per eorum prohibitionem majora inducerentur mala, aut majora impedirentur bona; ex duobus quippe malis quæ devitari nequeunt, majus vitandum est.

5° Judæi specialius tolerantur, quia ex eorum conservatione magnum provenit Ecclesiæ bonum, videlicet testimonium fidei nostræ, ex hostibus Vetus Testamentum custodientibus depromptum. Hinc in Decretal. lib. 5, tit. 6, cap. 3 et 7, statuitur Judæos unam tantum synagogam in una civitate habituros esse, quod nunc in plerisque Europæ regnis non admittitur.

Punctum secundum. — *De hæresi.*

Hæresis, a verbo græco *αιρεω*, *seligo*, cui affinis est vox latina *secta*, a verbo *seco*, est voluntarius et pertinax error intellectus contra aliquam fidei catholicæ veritatem in eo qui fidem recepit.

Dicitur 1° *error intellectus*; quia, sicut fides est actus intellectus veritati a Deo revelatæ adhærentis, ita hæresis

debet esse actus intellectus veritatem a Deo revelatam rejicientis. Unde qui aliquam fidei veritatem exterius tantum negat, non est hæreticus, nec pœnas contra hæreticos latas coram Deo incurrit.

Dicitur 2° *voluntarius et pertinax*; voluntarius, quia nullum esse potest peccatum sine actu voluntatis; et pertinax, quia, ex omnium consensu, hæresis non simplicem supponit errorem, sed resistantiam auctoritati revelationem proponenti: hæc tamen resistantia in uno temporis momento sufficienter existere potest; nec requiritur ut veritas quæ rejicitur habeatur ut revelata: satis est quod sufficienter proponatur, ut bona fides existere nequeat. Hinc qui superbia, præjudiciis, aliisve passionibus abrepti negant propositionem ab Ecclesia definitam, vel adhærent propositioni damnatæ ut fidei adversæ, prætendentes, sine rationabili fundamento, illam sic non fuisse definitam aut damnatam, vel Ecclesiam in tali puncto infallibilem non esse, merito judicantur hæretici.

Dicitur 3° *contra aliquam fidei catholicæ veritatem*, vel etiam contra aliquas: in hoc enim hæresis ab apostasia proprie dicta distinguitur, quod scilicet unum vel plura fidei catholicæ dogmata rejiciat, dum apostasia omnia deserat. Veritas autem fidei ea est quæ ab Ecclesia clare fuit proposita ut revelata. Unde qui negaret veritatem revelatam, sed non clare ab Ecclesia propositam ut revelatam, non esset stricte loquendo hæreticus.

Dicitur 4° *in eo qui fidem recepit*; qui enim fidem nullo modo recepit, est infidelis simpliciter dictus, et non hæreticus. Non tamen necesse est ut Baptismum realiter susceperit; nam Paulianistæ, qui verum Baptismi ritum non servabant, nihilominus habiti sunt ut hæretici: item et diebus nostris ut tales habentur Sociniani, licet omnem auferant Baptismi necessitatem pro iis qui in Christianismo nascuntur. Verumtamen qui valide non fuerunt baptizati licet coram Deo hæretici, pœnas ecclesiasticas in hæreticos latas incurere non possunt, quia reipsa de foro Ecclesiæ non sunt.

Certum est hæresim gravissimum esse peccatum; des-

truit enim fidei virtutem, cum, ex dictis in Tractatu de Fide, cap. 6, art. 2, fides in hæretico formali remanere non possit: porro fides est præstantissima virtus, fundamentum justitiæ, radix cæterarum virtutum; sine illa impossibile est placere Deo: ergo.

Dubium voluntarium de aliqua veritate quam Ecclesia proponit ut revelatam, judicando eam esse incertam, aut Ecclesiam eam proponendo errare posse, ad hæresim reducitur et grave est peccatum: nam *dubius in fide infidelis est*, ut habetur in Decretal. l. 5, tit. 7, cap. 1, et ita omnes sentiunt.

Qui assensum deliberate suspenderet circa veritatem sufficienter propositam, ob difficultates intellectui suo objectas, fidem jam non haberet; æquivalenter enim judicaret incertam esse propositionem de qua agitur: secus, si assensum suspenderet, non ob difficultates objectas, sed quia intellectum ad res alias considerandas divertit; quia firmitas fidei in intellectu ejus non ideo est vacillans. Ita communiter theologi.

*Notandum* præcedentia dicta non esse pro scrupulosis, qui ordinarie dubia circa fidem exurgentia contemnere debent. Vide quæ diximus in Tractatu de Pœnitentia, ubi de agendi ratione confessarii erga scrupulosos.

Nunc seorsum nobis dicendum est, 1<sup>o</sup> de pœnis hæreticorum; 2<sup>o</sup> de eorum absoluteione; 3<sup>o</sup> de prohibitione librorum hæreticorum, et 4<sup>o</sup> de disputatione cum hæreticis.

#### *De pœnis hæreticorum.*

1<sup>o</sup> Certum est Ecclesiam suam non amittere auctoritatem in filios sibi rebelles: hæreticos igitur valide baptizatos pœnis congruentibus plectere potest.

Notandum quod, ex communi theologorum et canonicistarum sententia, hæresis interna non sufficiat ut pœnæ canonicæ incurrantur: debet esse exterius per actus aut signa non æquivoca manifestata. Non tamen necesse est ut sit publica, nisi de publicis effectibus agatur; v. g., de sacramentorum aut sepulturæ ecclesiasticæ denegatione.

Pœnæ autem adversus hæreticos lætæ, sunt: 1<sup>o</sup> excommunicatio major, et quidem *lætæ sententiæ*, juxta communem sensum, ex Decreto, parte 2, causa 24, canon. 1 et 3, ex Decretal., l. 5, tit. 7, c. 13, et ex bulla *In Cœna Domini*: ad gravissimam hanc incurrendam pœnam, ex communi doctorum consensu, sufficit hæresis occulta, modo exterius, verbo, signo aut facto prodeat, etiam nemine teste; 2<sup>o</sup> irregularitas, de qua in Tractatu de Irregularitatibus diximus; 3<sup>o</sup> privatio beneficiorum et dignitatum ecclesiasticarum, ex Sexto Decretal., lib. 5, tit. 2, cap. 12, sed per judicis sententiam; 4<sup>o</sup> privatio jurisdictionis spiritualis, ex Decreto, parte 2, causa 24, q. 1, can. 4 et 36; *S. Th.* aperte docet, 2 2, q. 39, art. 3, hæreticos et schismaticos omni jurisdictione privari. At ex bulla Martini V *Ad evitanda scandala*, in concilio Constantiensi, anno 1418, data, ii soli jurisdictionem amittunt qui per sententiam fuerunt denunciati, vel qui ab Ecclesia manifeste recesserunt ut sectæ separatæ adhærent, vel novam formarent sectam; tunc enim jurisdictioni ecclesiasticæ renuntiare censentur; et aliunde Pontifex, in dicta bulla, loquitur tantum de hæreticis inter catholicos versantibus, qui omni jurisdictione ante sententiam judicis, privari non possent sine animarum anxietatibus et gravi incommodo: secus vero ubi agitur de iis qui ab Ecclesia manifeste separati sunt: vide Tractatum de Ecclesia; 5<sup>o</sup> privatio sepulturæ ecclesiasticæ, ex Sexto Decretal., lib. 5, tit. 2, cap. 2; sed hæc pœna infligitur tantum hæreticis denunciatis vel alicui sectæ ab Ecclesia separatæ adhærentibus. Sæpe tamen inflicta est Jansenianis tanquam rebellibus et ex specialibus episcoporum statutis.

3<sup>o</sup> *Notandum* credentes, receptatores et fautores hæreticorum ipso facto excommunicari, ex Decretal. lib. 5, tit. 7, cap. 13, § *Credentes*.

4<sup>o</sup> Plures aliæ reperiuntur pœnæ in jure canonico adversus hæreticos decretæ, v. g., infamia, amissio potestatis paternæ in filios, confiscatio honorum, ita ut filii et filiæ etiam catholici parentum hæreticorum hæredes non

sint, neque per testamentum, neque ab intestato; exilium, carceres, extrema supplicia, etc.

5<sup>o</sup> *S. Th.* 2 2, q. 11, art. 3, aliique theologi, præsertim *Suarez*, contendunt has pœnas, ultimo supplicio non excepto, juste decerni posse; idque probant 1<sup>o</sup> exemplo Dei, qui in veteri Lege iusserat falsos prophetas occidi, *Deut.* XIII, 5; 2<sup>o</sup> ex condemnatione art. 14 *Joannis Hus*, in concilio Const., qui aiebat doctores affirmantes aliquem censuris ecclesiasticis resistentem et corrigi nolentem, iudicio sæculari tradendum esse, comparandos fore pontificibus, Scribis et Phariseis, qui Christum sibi in omnibus obedire nolentem tradiderunt Pontio Pilato; 3<sup>o</sup> ex usu et praxi Ecclesiæ, quæ hujusmodi pœnas sæpe decrevit; 4<sup>o</sup> ratione: constat enim hæreticos rempublicam Christianam sæpe graviter perturbasse.

6<sup>o</sup> Ecclesia, vi promissionum Christi, semper juste iudicat, sicut infallibiliter docet: pœnas autem corporales, quas adversus hæreticos juste decreverat, per Christianos principes aut magistratus pro bono spirituali et temporali societatis Christianæ infligebat, ut plures volunt; vel, ut alii melius explicant, ministri Ecclesiæ sive episcopi jure ordinario in sua diœcesi, sive inquisitores jure delegato, doctrinas tantum iudicant, hoc unum inquirentes, nempe ut error a fidelibus arceatur; et si pœnæ afflictivæ, vel etiam capitales, adversus hæreticos fuerint institutæ, id tribuendum est imperatoribus et regibus qui hujusmodi novatores bono reipublicæ noxios arbitrabantur. Sic *Devoti*, t. 4, p. 112 et seq., multas citans auctoritates.

7<sup>o</sup> In hac agendi ratione generaliter spectata quid deprehenditur arguendum, maxime si attendantur constitutiones regnorum Christianorum, omnem hæresim tanquam societati perniciosissimam excludentes? Non ideo casus particulares vel sententias cunctorum tribunalium Inquisitionis defendere tenemur.

Prædictæ pœnæ temporales a multo tempore sunt suppressæ, vel usu contrario abrogatæ.

Cæterum *S. Th.*, loco citato, et post ipsum theologi, volunt ut hæretici ad Ecclesiam recedentes, etsi sæpe re-

lapsi, semper recipiantur, quia Ecclesia est benignissima et gremium suum nulli claudit.

*Notanda de pœnis schismaticorum.*

Inter schismaticos, alii sunt mixti et alii puri. Schismatici mixti ii sunt qui cum recessu ab obedientiæ capitibus Ecclesiæ, seu ab unione universalis Ecclesiæ, sociant hæresim saltem in aliquo puncto. *Nullum schisma non aliquam sibi confingit hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.* (Decret. part. 2, caus. 24, q. 3, can. 26.) Schismatici puri ii essent qui, a communione Ecclesiæ recedentes, nullum in fide admitterent errorem.

Schismatici mixti omnibus hæreticorum pœnis subjacent, ut patet. Pœnæ autem schismaticorum purorum sunt sequentes:

1<sup>o</sup> Excommunicatio major, quæ, juxta multos, ipso facto incurritur, et secundum alios non nisi per sententiam, maxime ubi bulla *In cœna Domini* non fuit recepta.

2<sup>o</sup> Inhabilitas ad acquirenda beneficia vel officia ecclesiastica, et præsertim ad obtinendam dignitatem episcopalem. Abjurato schismate, statim cessat inhabilitas.

3<sup>o</sup> Schismatici beneficiis et officiis ante schisma acquisitis per sententiam privari possunt, non autem ipso facto privantur.

4<sup>o</sup> Schismatici nominatim denunciati, vel sectæ omnino et evidenter separatæ adhærentes, jurisdictione ecclesiastica ipso facto privantur, adeo ut collationes beneficiorum, sententiæ censurarum, absolutiones, etc., ab eis factæ, ipso facto sint irritæ. Secus judicandum est quamdiu separatio non est manifestata.

5<sup>o</sup> Qui Ordines a schismatico scienter recipiunt, ipso facto sunt suspensi.

Circa hos aliosque schismaticorum casus, videri potest *Ferraris*, v<sup>o</sup> *Schisma*.

Ut specialiter noscatur quid sentiendum sit de schismate gallicano anni 1791, in primis consulenda sunt Bre-

via Pii VI, 13 aprilis 1791 et 19 martii 1792, ex quibus apparet dictum Pontificem *intrusos ac juratos* ab Ordine suspendisse, et majorem excommunicationem comminatum fuisse.

Non videtur autem excommunicationem nec suspensionem *ab officio*, vel *a beneficio* de facto inflictam esse. Sequitur laicos censuras proprie dictas non incurrisse.

Sancta Sedes concessit quidem episcopis facultatem absolvendi a censuris sacerdotes qui schismati adhæserant; sed hæc facultas suam habebat applicationem in absoluteione a suspensione. Aliunde, plurimi sacerdotes excommunicationem incurrere potuerant per apostasiam a *statu religioso* vel etiam ab *ordine sacro*, aut per adhæSIONEM *constitutioni civili*, si, emittendo juramentum præscriptum, probaverint ex animo errores in ea contentos, quos Pius VI enumerat et vocat hæreses, in longo Brevi 10 martii 1791, ad cardinalem *de la Rochefoucault*.

*De absoluteione ab hæresi.*

1º Ab hæresi interna, nullo signo exteriori manifestata, non tantum episcopus, sed etiam quilibet confessarius simpliciter approbatus absolvere potest, ut communiter docent theologi etiam extranei, quia hæresis ob censuram reservatur, et nulla est censura pro culpa mere interna: item non reservatur peccatum illius qui verbo aut facto aliquem fidei articulum negavit, interius assensum retinendo; nam, licet in foro externo habendus sit ut hæreticus, coram Deo labe hæresis non est maculatus.

2º Certum est episcopos jure proprio habere potestatem absolvendi ab hæresi, et hæreticos resipiscentes cum Ecclesia reconciliandi, ut ex antiquis synodis et Patribus fuse ostendit *Collat. Andeg.*, t. 4, p. 5, et agnoscit *Bened. XIV*, de Synodo diœces., l. 9, cap. 4. Sed jus illud varias pro tempore subiit mutationes, ut nunc dicendum venit.

3º Constat etiam nunc jure communi pertinere ad episcopos de hæresi inquirere et judicare, ac proinde penas

judicialiter infligere et tollere. Igitur Episcopus absolvere potest hæreticum resipiscentem et ad se sponte venientem, aut ad forum suum adductum, vel eum, postquam errores suos ejuravit, ad simplicem remittere confessarium, qui illum pro utroque foro absolvere poterit, tum ab hæresi, tum a censura ob hæresim incursa: id pluribus auctoritatibus adstruit *Bened. XIV*, loco citato, n. 3.

4º At difficultas est de hæresi quæ mansit occulta et ad forum externum non fuit deducta, an reservetur summo Pontifici, an vero episcopi ab illa absolvere possint. Conc. Trid., sess. 24, cap. 6 de Reform., tribuit episcopis, non vero eorum vicariis, facultatem absolvendi, in eo casu, tum a delicto, tum a censura. Sed valde controvertitur apud *Bened. XIV*, de Synodo diœces., l. 9, cap. 21, num illa facultas per bullam *In Cœna Domini* fuerit sublata. Affirmat illustris Pontifex, cum aliis plurimis, quorum sententia longe probabilior videtur. Unde nunc jure communi reservatio viget.

5º An autem hæc reservatio obtineat etiam apud nos? Expresse affirmat idem Pontifex, cap. 5. Verum generalis praxis in Galliis usitata est episcopos a crimine hæresis, sive occultæ, sive publicæ, per se, vel per vicarios suos, vel per quoslibet sacerdotes a se delegatos absolvere, ratum habentes neque concilium Trid. hac in parte, neque bullam *In Cœna Domini*, apud nos fuisse recepta, ac consequenter veterem disciplinam permansisse.

DD. *Gousset* in *Coll. Andeg.*, 2ª edit. in-8º, t. 4, p. 53, ait hanc facultatem episcopis Gallicanis sublatam fuisse per constitutionem qua Pius VII antiquas sedes episcopales cum privilegiis earum exstinxit et novas erexit, sed immerito: hæc quippe constitutio non efficit ut bulla *In Cœna Domini*, in regionibus nostris nunquam publicata, vim legis habeat, et revera omnes Galliarum episcopi nunc sicut olim ab hæresi, sive occulta, sive publica absolunt, quod agnoscit idem DD. *Gousset*, in sua theologia moralis, t. II, p. 627.

Hæc autem episcoporum Galliarum facultas cessat in iis casibus quos S. Pontifex speciatim sibi reservat, ut

accidisse videtur quoad eos qui Constitutioni civili adhæserunt.

6° Omnes autem Galliarum episcopi sibi reservasse videntur externam hanc absolutionem, quæ ordinarie præcedere debet reconciliationem fori penitentialis, pro iis hæreticis qui sectæ separatæ et anathematizatæ publice adhæserunt. Unde specialis ad hoc necessaria est commissio, prout episcopus judicat expedire, habita ratione circumstantiarum. Publica enim hujusmodi reconciliatio non ita facile nunc imponenda est.

Quoad eos qui sectæ hæreticæ non publice adhæserunt, consulenda sunt statuta et Ritualia singularum dioceseon, ut sciatur quatenus eorum delictum sit reservatum, et qualem in absolvente supponat delegationem. Sunt enim, ut Bellicense, quæ publicam tantum adhæSIONEM reservant, et alia, ut nostrum, simpliciter requirunt signum externum ut incurratur reservatio.

*De prohibitione librorum in genere.*

1° Semper ægre tulerunt hæretici Ecclesiam libros eorum prohibere; Protestantes et recentiores increduli multa congesserunt ut ostenderent illam tali non gaudere facultate, vel potius ut illam illiusque auctoritatem suggillarent. Inconcussis vero momentis demonstratur illam de sensu librorum infallibiliter judicare, ac potestatem malos prohibendi a primis sæculis usque ad nos exercuisse, ut videre est in Tractatu nostro *de vera Ecclesia*, parte 2, cap. 3, art. 3.

2° Cum autem, inventa arte typographica, libri hæreticorum facile divulgarentur, Paulus IV jussit ut Index librorum vetitorum conficeretur. Patres concilii Trid. judicarunt, referente *Palav.* l. 15, cap. 19, hunc Pauli IV Indicem correctione plurima indigere; novum ediderunt Indicem, eum judicio et approbationi submiserunt Pii IV, qui illum expendit et a viris peritis expendi præcepit, atque bulla diei 24 martii 1564 confirmavit. Quoniam libri perniciosissimi quotidie prodibant, S. Pius V sacram

*Indicis Congregationem* instituit, cujus esse voluit librorum vetitorum Indicem conficere, et curare ut novæ censuræ, prout opus erit, ei addantur. Hæc Congregatio, ex cardinalibus ac pluribus aliis viris doctis constans, semper existit, et in judicandis operibus sibi delatis optimas ac benignas sequitur regulas, quas fuse tradit *Benedict. XIV*, constitutione *Sollicita*, diei 9 julii 1753. Vox *Index* venit a verbo indicare, quia libros a quibus abstinendum est indicat.

3° In eo Indice prohibentur, 1° omnes libri ante annum 1515 a conciliis œcumenicis vel a summis Pontificibus damnati, etsi in eo Indice non inscripti; 2° omnes libri hæresiarcharum, id est, eorum qui fundatores vel duces fuerunt sectarum hæreticarum, v. g., *Lutheri*, *Calvini*, *Zuinglii*, etc., cujuscumque sint tituli aut materiæ. Libri aliorum hæreticorum de religione tractantes, etiamsi nihil mali haberent, prohibentur; non vero qui de materiis a religione diversis tractant. 3° Versiones Veteris Testamenti ab hæreticis factæ solis viris doctis et piis, judicio episcopi, permittuntur; versiones vero Novi Testamenti ab hæresiarchis factæ nemini conceduntur. 4° Sacras Scripturas in linguam vernaculam a catholicis auctoribus versas nec legere, nec emere, nec vendere, nec retinere licet, sine licentia episcopi in scripto data: regulares hanc facultatem a prælatis suis obtinere possunt. Sed hanc licentiam episcopis et prælatis regularium sublatam fuisse contendunt doctores, ut infra dicturi sumus. 5° Lexica, Concordantiæ, Indices et alia hujusmodi hæreticorum opera, in quibus nihil fere est auctoris, probata permitti possunt. 6° Libri vulgari idiomate de controversiis inter catholicos et hæreticos nostri temporis disserentes non passim permittantur, sed idem servetur ordo ac pro Bibliis lingua vulgari scriptis: alii vero libri, si sanam doctrinam contineant, non prohibentur. 7° Libri qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant aut docent, omnino prohibentur, et qui eos habuerint severe ab episcopis puniri possunt, nisi libri isti sint antiqui et ab ethnicis scripti. 8° Libri quorum principale argumentum bonum est, in quibus

tamen aliqua inserta sunt ad hæresim, impietatem, divinationem vel superstitionem spectantia, modo a theologis catholicis expurgentur, permitti possunt. 9° Omnes libri et scripta geomantiæ, hydromantiæ, aeromantiæ, pyromantiæ, onomantiæ, chiromantiæ, necromantiæ, sive in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantationes artis magicæ, prorsus rejiciuntur.

4° Ex hac prohibitione Indicis sequitur omnes libros, de quibus huc usque diximus, jure communi nec legi nec retineri posse sine peccato mortali, nisi bona fides aut necessitas excuset, aut detur materiæ levitas, ut infra explicabitur.

5° In multis casibus incurritur excommunicatio, modo summo Pontifici reservata, ubi videlicet agitur de libris in bulla *Cenæ* memoratis; quandoque vero non reservata, ubi scilicet simpliciter adest censura Indicis.

Ex bulla *In Cœna Domini*, a pluribus summis Pontificibus in hoc confirmata, excommunicantur excommunicatione Papæ reservata, *hæreticorum libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate sedis Apostolicæ, scienter legentes aut retinentes, imprimentes seu quomodolibet defendentes ex quavis causa, publice vel occulte, quovis ingenio vel colore.*

Plures igitur concurrere debent conditiones ut excommunicatio de qua agitur incurrat; scilicet 1° ut sit liber, id est, ait *Billuart*, opus ea quantitate compositum ut prudentium virorum judicio censeatur liber. Inter theologos graviter controvertitur an excommunicationem incurrant qui hæretici concionem, epistolam, orationem aliamve parvam scripturam manuscriptam vel impressam, hæresim continentem vel de religione tractantem, legunt. Multi affirmant, quia in his eadem est prohibitionis ratio, scilicet periculum perversionis. Alii vero non pauci negant, hæc ducti ratione quod hujusmodi parvæ scripturæ, separatim spectatæ, proprie vocari non possint libri: attamen bulla loquitur de libris, non vero de foliis separatim. Ita de *Lugo*, *Busenbaum*, *Sanchez*, *Layman* et plures alii apud *Ferraris* et *S. Ligorium* qui huic sententiæ

suffragantur. 2° Ut auctor libri prohibiti sit hæreticus, aut, si lateat auctor, liber de hæresi ex professo tractet. Unde qui legunt librum pagani, Mahumetani, Judæi alteriusve infidelis, etiam de religione tractantem et hæreses continentem, hanc excommunicationem reservatam non incurrunt; nec qui legunt librum auctoris catholici, hæreses ex ignorantia vel inadvertentia docentis, aut hæreticorum errores etiam in extenso referentis, ut eos impugnet; quia bulla *In Cœna Domini* loquitur de libris hæreticorum, et ex regula juris 14, *Odia restringi et favores convenit ampliari*. 3° Ut liber hæresim contineat vel de religione tractet; sic enim habet bulla, particula disjunctiva *vel* utens. Itaque liber auctoris hæretici vel unam continens hæresim, quamvis de materia religione diversa tractet, vel nullum habens errorem, sed de religione tractans, v. g., de theologia dogmatica aut morali, de Scriptura sacra, de jure canonico, de ritibus Ecclesiæ, aut de aliis rebus spiritualibus, sub pœna excommunicationis prohibetur. 4° Ut liber scienter legatur vel retineatur, quia bulla hac utitur voce, et, ex regula juris 49, *In pœnis benignior est interpretatio facienda*. Hinc qui ex ignorantia etiam vincibili nescit librum esse auctoris hæretici, vel hæresim continere, aut de religione tractare, excommunicationem non incurrit eum legendo vel retinendo. 5° Ut liber prohibitus in notabili materia legatur; sic communiter doctores, qui parvitatem materiæ admittunt, licet valde sibi dissentiant in assignando quid materiæ gravitatem constituat: alii enim requirunt paginam, alii dicunt tres aut quatuor versus sufficere, alii decem lineas; alii, cum quibus *Ferraris* et *S. Ligorius*, volunt attendendum esse finem prohibitionis, et si quis, aperiendo librum, in doctrinam fidei oppositam incidat, etiamsi paucas lineas legat, excommunicationem incurrit, quia periculo perversionis se exponit; si vero liber de re indifferenti tractaret, etsi prohibitus, forte qui usque ad paginam legeret, a peccato mortali et censura excusari posset. « Cæterum bene incurri potest » censura, legendo solum præmium aut indicem libri, si » in notabili quantitate percurretur, » inquit *S. Ligorius*,

App. III, de Prohib. lib. cap. v, n. 6. 6° Ut liber legatur vel retineatur absque auctoritate sedis Apostolicæ. Unde qui hanc obtinuerunt licentiã, vel a summo Pontifice, vel ab uno ex ejus delegatis, censuram non incurrunt.

6° Quod spectat autem ad censuram Indicis, hæc leguntur in fine regulæ x, excerpta ex bulla Pii IV, quæ incipit *Dominici gregis: Si quis libros hæreticos vel cujusvis auctoris scripta, ob hæresim vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata atque prohibita, legerit sive habuerit, statim excommunicationis sententiam incurrat.*

Ex his patet plerasque conditiones bullæ *In Cæna Domini* ab indice requiri. Quædam tamen sunt differentiæ: Sic 1° regula Indicis non memorat tantum *libros*, sed etiam *scripta*, quod videtur comprehendere folia libri errantia, concionem, epistolam, etc. 2° Non tantum attingit scripta hæreticorum, ut bulla *Cænæ*, sed cujusvis auctoris, modo scriptum fuerit damnatum ob hæresim vel ob falsi dogmatis suspicionem, proindeque ejus qui tantum ante vel post scripti compositionem fuit hæreticus, et etiam catholici opus cui hæreticus scholia vel notas annexisset.

Quoties igitur liber prohibitus versatur in conditionibus bulla *Cænæ* statutis, incurritur excommunicatio summo Pontifici reservata: ubi vero aliqua ex his conditionibus deest, sed reperiuntur conditiones quas regula Indicis citata exigit, datur excommunicatio, sed non reservata. Demum si qua ex his posterioribus desit, est culpa sine censura.

7° Duo supersunt notanda, nempe 1° qui linguam in qua scriptus est liber ignorat, censuram non incurrit, nec ordinarie peccat, librum legendo vel percurrendo, quia talis actio non est vera lectio, nisi materialis tantum. Verum parvi refert an qui legit, voce pronuntiet vel tacitus librum prohibitum oculis percurrat, modo quod videt intelligat. Sic *Ferraris*, n. 39 et 40, dicens hanc sententiam esse communem. 2° Ut communius et probabilius tradit *S. Ligorius* eum qui alterum audit librum prohibitum legentem censuram non incurrere, modo illum non induxerit ad legendum, quia reipsa non reputatur legere.

Imo alii non pauci eum excusant qui alium induxit ad legendum, propter eandem rationem. Hæc tamen sententia non est tuta.

8° Licentiæ legendi aut retinendi libros prohibitos nunc concedi non possunt, nisi a summo Pontifice, vel a sacra Congr. S. Officii, aut specialiter ab ipsis deputatis: sic expresse statuit Urbanus VIII, 2 aprilis 1631, revocans et annullans quascumque licentias a prædecessoribus suis concessas quibusvis personis. Unde ipsimet episcopi et cardinales prædictos legere non possunt libros, nisi habeant licentiam scripto sibi datam. Arbitratur tamen *S. Ligorius* episcopum in casu magnæ necessitatis hanc licentiam concedere posse; imo, et, ex justa epikeia, excusari posse virum doctum qui, urgente necessitate, proprio motu legit librum prohibitum, puta, quia tali indiget lectione ut adversarios statim refellat, nec ad Papam nec ad proprium episcopum recurrere potest. Congr. Indicis nunc concedere potest licentiam quosdam libros prohibitos legendi, et magister Sacri Palatii pro urbe Roma et ejus districtu.

9° Non solum legentes, sed retinentes, vendentes, imprimentes libros prohibitos, eos ab uno loco in alium asportantes, in bulla continentur et censuram incurrunt. In librorum aliarumve scripturarum impressione quædam servandæ sunt regulæ in concilio Lateranensi V, sess. 10, traditæ, quæ spectant ad auctores, typographos et bibliopolas, tum Romæ, tum alibi degentes; in primis statuitur ut nullus imprimatur liber sine approbatione superioris ecclesiastici scripto data in forma authentica, et id quidem sub pœna confiscationis librorum et excommunicationis ipso facto incurrendæ. Plures hac de re casus reperiri possunt soluti apud *Ferraris*, n. 44 et seq. Vide in totam hanc materiam *P. Antoine*, nova edit. in-8°, t. 2, p. 314 et seq.

10° Advertendum libros a sancta Sede prohibitos, in quamcumque linguam vertantur, censi ab eadem Sede ubique gentium sub eisdem pœnis interdictos et damnatos. Sic statuit Clemens VIII, in Instructione pro iis qui

libris prohibendis aut expurgandis operam daturi sunt, § 6, in capite anni Indicis 1825.

1<sup>o</sup> Insuper *Bened. XIV*, in constitutione *Sollicita*, § 22, instructionem Clementis VIII invocans, et § 23, auctoritatem Innocentii XI proferens, maxime commendat ut catholici auctores caute abstinere ab iis quæ famæ proximorum et præsertim ecclesiasticorum ac principum detrahunt, a facetiis aut dictariis in præjudicium existimationis aliorum jaectatis, « a quibuscumque conviciis contra eas propositiones quæ adhuc inter catholicos controvertuntur, donec a sancta Sede recognitæ sint; ac proinde iis non assimilentur de quibus ait *S. Aug.*, Conf. l. 12, cap. 25, n. 34: *Amant suam sententiam, non quia vera est, sed quia sua est*, et aliorum opiniones non modo improbant, sed illiberaliter notant et traducunt.

*De prohibitione librorum in Gallia.*

1<sup>o</sup> Bulla *In Cæna Domini*, de qua locuti sumus, in variis provinciis non fuit recepta. Index non ubique viget aut non admittitur quoad omnia. In Galliis neque Bulla neque Index ullo modo vim obtinent, quia ibi nunquam recepta fuerunt; aut saltem, si, post concilium Trid., in quibusdam conciliis particularibus Index receptus fuerit, mox in desuetudinem abiit secundum probatos auctores nostros, *Collat. Andeg. Collet, Theol. Pictav.*, etc. Unde libri in Indice notati passim leguntur absque ulla licentia, et qui libros hæreticorum hæresim continentes vel de religione tractantes legunt, non incurrunt censuras neque Bullæ neque Indicis. Boni tamen catholici et quicumque salutis suæ consulere volunt, a lectione hujusmodi librorum caute abstinere debent tum propter reverentiam Ecclesiæ et summo Pontifici debitam, tum propter periculum perversionis.

2<sup>o</sup> Procul dubio jus habent episcopi libros perniciosos in sua diocesi prohibendi et censuras contra temerarios lectores decernendi: hoc quippe essentialiter pertinet ad munus quod habent jure divino populum sibi commissum

sana doctrina pascendi. Hinc illimitata scribendi ac scripta publicandi libertas admitti non potest eo sensu quod Ecclesiæ pastores jus non habeant censuram exercendi, ut fortiter affirmat *Greg. XVI*, in sua Epistola encyclica diei 15 augusti 1832. Sæpe privati homines infauste libros suo examini subjicerent; sed Ecclesia, quæ est columna et firmamentum veritatis, eos merito judicat, approbat, vel prohibet.

3<sup>o</sup> Nulla nunc viget lex uniformis et generalis in Gallia quæ librorum hæreticorum aliorumve lectionem in genere prohibeat. Episcopi specialia generaliter condiderunt statuta, quibus perversa prohibentur scripta sæpe sub censura et reservatione. Hæc quilibet sacerdos sedulo percalleet. In nostra diocesi sic habetur (*Enchiridion*, p. 5): « Qui sine nostra speciali licentia legunt libros in quibus hæresis vel impietas ex professo, id est scopo auctoris, docetur vel defenditur, excommunicationem majorem ipso facto incurrunt. »

Conditiones igitur requisitæ apud nos ad censuram sunt: 1<sup>o</sup> ut hæresis vel impietas doceatur aut defendatur: non sufficerent ergo convicia, calumniæ, detractiones, obscena, etc.; 2<sup>o</sup> ut doceatur vel defendatur ex professo: unde propositiones hæreticæ vel impiæ passim expressæ ad incurrendam censuram non sufficerent, nec errores alterius auctoris etiam in extenso relati ad eos confutandos: requiritur ut auctor errorem docere vel defendere intendat, saltem in aliqua libri parte. Unicum caput hæreticum vel impium, ex scopo auctoris, vel etiam pars minor sufficit ut totus liber interdicatur: at si pars perversa excerpere, liber esset purgatus nec deinde prohibitus. Item si ejusdem operis plura sint volumina et quædam ab omni errore ex scopo auctoris defenso sint munda, hæc absque periculo incurrendi censuram legi possunt. 3<sup>o</sup> Ut sit liber: hinc qui legit folia ex libro prohibito separata censuram non incurrit, quia non legit librum, sed fragmenta libri; nec pariter qui legit folia quotidiana hæretica vel impia, vulgo *les journaux*, quæ in forma libelli non publicantur, quia hæc folia separatim spectata recte dici non possunt



libri. Multi tamen ea legere non possunt sine periculo perversionis, et in eo casu ab eis legendis abstinere jure naturali tenentur: nihilominus cavere debent confessarii ne nimis sint rigidi, quia pœnitentes a periculosa lectione volentes retrahere, ab ipsa confessione sæpe propellerent.

In statuto nostro citato agitur tantum de iis qui *legunt*, non vero de iis qui *retinent, imprimunt, defendunt* libros impios vel hæreticos. Omissio posteriorum verborum juri communi opposita fuit involuntaria. In novo Rituali Parisiensi, p. 235, dicitur excommunicationem reservatam incurrrere eum *qui scienter typis edit, vendit, distribuit, legit aut etiam domi retinet, absque licentia, libros ab Ecclesia sub hac pœna prohibitos.*

Qui ignorans aliquem librum esse malum vel solum dubitans, oculos passim in eum conjicit ut sciat utrum sit prohibitus necne, paratus eum abjicere ubi adverterit esse malum, censuram non incurrit, ut expresse statuitur in citato Enchiridio. In dubio autem an hæresis vel impietas ex scopo auctoris doceatur vel defendatur, judicandum est librum non esse prohibitum, quia *odia restringi convenit.*

4<sup>o</sup> Censura viget apud nos si pontificia bulla librum aliquem sub pœna excommunicationis prohibens, in Gallia fuerit publicata et recepta, ut olim Const. *Ad sanctam Alexandri VII, 1657*, qua sub pœna excommunicationis prohibentur *Augustinus Jansenii*, atque omnes libri præsentis et futuri quinque damnatas propositiones defendentes, inter quas sunt *les Provinciales de Pascal* et nonnullæ editiones *de ses Pensées*, etc.; Const. *Unigenitus* Clementis XI sub eadem pœna prohibentis legere, transcribere, retinere librum *Quesnel* et quælibet scripta illum defendentia; Breve Innocentii XII condemnantis librum cui titulus: *Explication des Maximes des Saints*, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ: prohibetur hujus libri lectio et retentio, de aliis autem libris ad illum defendendum scriptis nihil dicitur.

Encyclica autem sua VII kalendas julias 1834, Gregorius XVI librum dictum *Paroles d'un Croyant* reprobavit ac damnavit, sed nullas expressit censuras.

Censuræ autem per supradictas constitutiones lata, apud nos summo Pontifici non sunt reservatæ, quia eo sensu in Galliis non fuerunt acceptæ.

6<sup>o</sup> Ex usu in Gallia recepto, omnes doctores in theologia facultatem habent quoslibet libros prohibitos legendi, quia cum ad tuendam sanam doctrinam eamque ab erroribus defendendam instituantur, convenit ut adversariorum scripta, quæ refellere tenentur, cognoscant. Vide *Collat. Andeg.*, t. 4, p. 55.

Episcopi eos sine licentia legunt et licentiam eos legendi per se vel per vicarios suos generales concedunt; licentia autem prohibitos libros legendi, importat licentiam eisdem retinendi.

#### *De disputatione cum hæreticis.*

1<sup>o</sup> Alexander IV, in Sexto, l. 5, tit. 2, cap. 2, ait: « Inhibemus ne cuiquam laicæ personæ liceat publice vel privatim de fide catholica disputare. Qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur. » Quilibet ergo laici, sive docti, sive indocti, sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ, a disputatione cum hæreticis vel cum infidelibus prohibentur; nulla enim admittitur distinctio. Excipiunt tamen theologi casum necessitatis, in qua laicus doctus, deficiente clerico capaci, fidem a diceris hæretici vel increduli vindicare potest, imo et debet, ut ait P. *Antoine*, ob proximi salutem et fidei honorem. Idem P. *Antoine*, t. 2, et *Ferraris*, v<sup>o</sup> *Fides*, n. 40, dicunt hanc prohibitionem per contrariam consuetudinem abrogatam esse in regionibus in quibus catholici cum hæreticis commiscuntur. In præsentis opinionum statu, sæpe necessarium aut saltem utile est ut, inter nos, ipsi laici errores et impietates incredulorum dictis aut scriptis refellant, et qui hoc perite præstant, a nemine reprehenduntur tanquam juri canonico adversi.

2<sup>o</sup> Disputare cum hæreticis non est prohibitum clericis jure ecclesiastico, nec etiam jure naturali, si sufficienter sint docti, et debitas prudenter observent circumstantias

audientium, loci et temporis, ut honor veritatis periculo non temere exponatur, quod sedulo cavendum est; et ideo ipsi sacerdotes, « nisi siut valde periti, ex consilio debent » se abstinere, excusando se bonis verbis et prætextibus: » sunt verba decreti Cong. de Propaganda Fide, diei 26 febr. 1630.

3<sup>o</sup> Eadem sacra Congr., die 8 martii 1625, jam jusserat « publicas disputationes non fieri cum hæreticis, quia ple- » rumque, vel ob loquacitatem vel audaciam aut circum- » stantias populi acclamantis, veritas, falsitate prævalente, » opprimitur; et si aliquando hujusmodi disputationes » recusari non possint, primum de illis certior fiat sacra » Congr., quæ, juxta temporis et personarum qualitatem, » quid agendum sit præscribet. »

4<sup>o</sup> Stricte prohibitum fuit missionariis ne, absque Ro- mani pontificis licentia, conventum indicent ecclesiasticum, in quo cum hæreticis de religione disputent. Si autem sanctissimus Pontifex hanc concedendam esse licentiam arbitretur, quasdam apponet conditiones, a quibus recedendum non erit, v. g., 1<sup>o</sup> ut hæretici non tanquam judices et cum jure suffragii conveniant; 2<sup>o</sup> ut fidei dogmata non definiantur, sed ut revelata et definita ostendantur; 3<sup>o</sup> ne disputatio locum habeat coram plebe, sed coram doctis; 4<sup>o</sup> ut laici etiam principes non sedeant velut judices, 5<sup>o</sup> ut prælati a principe sæculari ad conventum non cogantur, sed tantum invitentur.

Punctum tertium. — De Apostasia.

Apostasia, a verbis græcis *απο*, *post*, et *στησις*, *sto*, defectionem aut recessum significat.

Triplex distinguitur, videlicet apostasia a fide, apostasia a statu religioso, et apostasia ab ordine sacro.

Apostasia a fide est totalis a fide Christiana per Baptismum suscepta recessus: in eo tantum differt ab hæresi, quod hæreticus non rejiciat Christum, sed unam vel plures veritates a Christo revelatas, dum apostata, Christum penitus deserens, fit judæus, mahumetanus, paganus, vel

religionem Christianam ex animo rejicit per aliquod perfidiæ hujus signum externum. Apostasia igitur pejor est hæresi et iisdem omnino subjicitur pœnis. Qui vero religionis christianæ officia negligit, non intendens eam per signum aliquod externum abjurare, aut ritui infidelium adhærere, malus est Christianus, sed non apostata, nec pœnis in hæreticos latis obstringitur.

*Apostasia a statu religioso* in eo consistit ut quis in ordine regulari professus, a religione culpabiliter abscedat cum animo ad institutum regulare non redeundi, sive habitum exuerit, sive illum retineat. Qui cum licentia superioris discederet, vel haberet animum redeundi, vel ad aliud institutum regulare etiam laxioris observantiæ transeundi, proprie non esset apostata, sed ad summum fugitivus, cum vitæ regularis substantiam servare intenderet.

Pœnæ quibus subjacent apostatæ a statu religioso sunt: 1<sup>o</sup> excommunicatio major lætæ sententiæ, si habitum deseruerint; secus si habitum retinuerint, ut ostendit *Ferraris*, v<sup>o</sup> *Apostasia*, n. 49; 2<sup>o</sup> suspensio ab ordinibus durante apostasia susceptis; 3<sup>o</sup> privatio privilegiorum religioni annexorum, vocis activæ et passivæ, etc.

*Apostasia ab ordine sacro* locum habet cum quis clericatui omnino renuntiat, ut vitam laicalem ducat, et, eo animo, id omne quo vir dignoscitur ecclesiasticus abjicit, vel se tradit professioni a statu clericali omnino alienæ, v. g., militiæ, aut matrimonium contrahit. Supponitur quod sacris Ordinibus sit initiatus, cum simplex clericus et acolythus statum clericalem et ejus insignia licite deserere possint.

Pœnæ autem contra hujusmodi apostatas sunt: 1<sup>o</sup> excommunicatio lætæ sententiæ, si clericus matrimonium contraxerit, et ferendæ sententiæ, si a conjugio ineundo abstinuerit; 2<sup>o</sup> infamia; 3<sup>o</sup> irregularitas, si matrimonium fuerit contractum; 4<sup>o</sup> amissio privilegii clericalis. Vide *Ferraris*, n. 63 et seq.

In nostra diœcesi, quicumque fiunt apostatæ a fide, ab ordine vel a statu religioso, excommunicationem episcopo reservatam ipso facto incurrunt, ex *Enchiridio*, p. 6.